





1723, 20  
1324  
M 23

FACULTATIS JURIDICÆ DECANI  
**ERNESTI TENZELII,**  
JCTI,

EMINENTISSIMO PRINCIPI ELECTORI MOGVNTINO  
A CONSILII REGIMINIS, JVDICII PROVINCIALIS ERFOR-  
DIENSIS ASSESSORIS, AC DICTÆ CIVITATIS CONSVLIS  
PRIMARIJ, ET RELIQV.

PROGRAMMA INAUGVRALE

2VO

*Omnium ordinum Auditores decenter invitāt*

AD AVDIENDAM

LECTIONEM CVRSORIAM *Sup. L. Præses 27. ff. de Re Jud.*

HACQVE FINITA

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

DE

**CAVSA DEBENDI,**

A PRÆNOBILI ET CLARISSIMO JVRIVM CANDIDATO

DN. THOMA HAYME,

ADVOCATO LIPSIENSI,

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

D. XVI. JUN. A. M DCC XXIII.

HABENDAS,

ET SIMIL

DE PRÆJVDICIIS

QVÆDAM DISSERIT.

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



Uris Civilis studium, etiam quâ privatum, nec Statum Reipublicæ immediate respicit, longe latius quam forensium actionum formulas patere, proprio lumine perspicuum esse arbitror. Licet enim Jurisprudentiam disciplinam esse præctam, vel ex ipso Prudentiæ nomine, habitum cum recta ratione activum denotante, appareat; vix tamen hunc implevisse munus aut nomen Jurisconsulti, dicendum, cui judicarii processus instruendi, formandique notitia contigit. In ea quippe ignobilior atque minima juris Civilis portio reposita, Cognitione Legum, sive Naturalium sive Civilium, vel Gentium, Secularium aut Ecclesiasticarum opus, atque ut quis jus vel leges interpretari, & quæ ad interpretationem ejus necessaria sunt, definitiones divisiones causas originem historiam, & illa quæ ex aliis quoque Disciplinis hauriri possunt, sciat. Præterea qui Jurisprudentiam à tractandis in Judicio causis incipiunt, similes sunt illis qui inter Medicos emirici

3257

pirici dicuntur, funesto sæpius curam ægrotorum e-  
ventu suscipientes. An is factum recte tractare no-  
vit, qui mores Provinciæ, stylum curiæ, vel modum  
procedendi in Judicio, ac formulas petendi, excipi-  
endi, sententiam ferendi vulgares callet, nisi (in Ger-  
maniâ quidem) Juris Justiniani, & Canonici notitiâ  
instructus simul sit, quippe ex quibus Jura Statutaria,  
& Provincialia interpretationem mutuantur. Nec  
tamen solâ etiam teoriâ sine praxi verum artificem,  
quem Ictum vocare possumus fieri posse, existiman-  
dum: ac licet esse possit sine usu cognitio juris, veris-  
simum tamen est illud PINELLI, quando *Theoriam si-  
ne Praxi, digestam, solidamque juris cognitionem prestare  
non posse*, scripsit, secutus, (ut videtur) BALDUM in  
*L. Æmilus ff. de Min. qui Practica*, ait, *est scientia LL.  
digestiva* & paulo ante: *Leges in scholis diglutiuntur, in  
Palatiis vero digeruntur*. Sicuti autem versatur Pra-  
xis circa legum, consvetudinum, statutorum legiti-  
mam ad facta in foro applicationem, ita ob casuum  
& circumstantiarum diversitatem, nimis dubium esse  
litium eventum, experientia docet. Licet enim con-  
troversia quaedam inter quosdam decisa sit, vix ta-  
men decisionem istam ad causas similes tutò applica-  
re licebit. Sic enim facile, quod res inter alios gesta  
aliis non præjudicet, vid. *l. 63. pr. ff. de re jud. l. 10.  
ff. de exc. l. 12. seqq. ff. de exc. rei jud. tt. C. res int. al.  
jud. l. 2. C. de fid. instrum. Sc.* objicietur. Facile quip-  
pe fieri potest, ut minima circumstantia variet jus,  
vel etiam sententiam illam vel in contumaciam, vel  
alio respectu speciali latam; unde inter alios certitudo  
colligi vix potest. Quanquam, illam regulam suas  
pari

*Doctrina  
de Præjudiciis.*

pati limitationes, negari non possit. Sic enim in *d. l. 63. distinctio* de aliis quibusdam scientibus adhibetur, cujus *L. explicationem* tradit *WISSENB. p. 2. Disput. 21. th. 16.* ubi & alias limitationes ex *l. 25. ff. de stat. hom. l. 8. §. 16. ff. de inoff. test. &c.* notat. Negari etiam vix potest, aliud dicendum esse, præcipuè, ubi eadem vincendi causa est. vid. *CARPZ. part. 1. const. 26. def. 16.* Ac licet diversæ & plane contrariæ sententiæ in eadem Civitate ab eodem *Jctorum collegio*, imo ab iisdem *Jctis* in pari causa, vel in eadem aliquando sequantur, vid. *MEV. in Prolegom. Comment. ad Jus Lubec. ut adeo VULTEJUS Vol. 1. Conf. 34. n. 53.* inter Consilia Marburgensia scribere non dubitaverit: *Præjudicia Cameralia, que à GAILIO, MYNSINGERO, & aliis allegantur, non tam facile trahenda esse ad exemplum, præsertim in controversiis perplexis, & multiplicem distinctionem habentibus: neque rarum esse, ut ipsi Domini Assessores Camera Imp. à præjudiciis suis recedant.* Unde apparet quid sentiendum de glossâ & *Dd. in l. nemo C. de sent. & interloc.* quod sc. præjudicia summarum curiarum sequi conveniat, quod præjudicia Camera imper. vim legis habere dicantur, quia ipsa summi Principis sit Consistorium, & ipsum Imperatorem repræsentet vid. *CARPZ. L. 4. Resp. 37. n. 11.* quò faciunt etiam tradita à *Dd. de præjudiciis Neapolitanis*, quod ea etiam communi contrariæ præferantur *AFFLICT. Dec. Neapolit. 96. n. 11. & Dec. 169. n. 9.* Manet tamen præjudiciorum in foro, præsertim ubi dubia statutorum, vel verborum legis interpretatio iis declaratur, aut ambigua consuetudinis controversia definitur, ingens omninò usus. Tunc enim de

de consuetudine per actus in iudicio decisos, probationem, quod legis instar consuetudo introducta sit, inducere possunt. Sunt tamen & alia præjudicia, quæ moribus nostris dubium sæpius faciunt litis eventum, ex diversitate sententiarum, quæ in diversis Imperii Nostri Dicasteriis, quæ de jure respondere solent, foventur & recepta sunt. Quod enim in uno collegio justum habetur, in alio sæpius injustum statuitur. Quod per mille exempla demonstrari posset nisi propositi angustia hæc alii occasione reservare juberet. Exemplo nunc solum sit, quod de pactis contractuum præsertim innominatorum præparatoriis, quod hodie producant actionem, à multis assertatur, ab aliis negetur. Quales scopulos ni cautè satis evitent qui in foro versantur, vix feliciter res suas tractare poterunt. Plura in Lectione sua cursoria de Sententiis, disseret

*Prenobilis & Clarissimus*

**DOMINUS THOMAS HAYME,**

*Advocatus Lipsiensis,  
Jurium Candidatus dignissimus,*

Cujus vitæ curriculum sequentibus more recepto nunc examinandum. Natus est A. 1689. d. 21. Jun. Reinsbergæ in Misnia, Patre THOMA HAYME loci jam dicti Scabino, Matre MARIA, nata DURSIA. Ut autem ab incunabulis Christianæ Religionis præcepta imbiberet, Sacro fonti parentes antea appellati optimi eum initiari curaverunt, & quidem d. 23. Jun. d. a. nihilque omiserunt quod ad pietatem bonosque mores excolendos ipsi proficeret. Quare etiam A.

X 3 1702.



1702. Siebenlehniam miserunt, ubi cura atque solertia  
Dn. BORSCHDORFFII, oppiduli ejusdem Cantoris  
fundamenta linguæ latinæ, aliasque ei ætati compe-  
tentes doctrinas hausit. Hinc redux cum factus esset,  
A. 1704. Freibergam Hermundurorum, urbem patriæ  
vicinam elegerunt, ibique inspectioni Maxime Re-  
verendi Domini M. CHRISTOPHORI HENRICI  
FISCHERI *tum temporis ad ædem D. Nicolai Conciona-*  
*toris matutini* eum tradiderunt, cujus etiam per aliquot  
annos usus est hospitio & sub Gymnasii Rectore Dn.  
RITTERO, Conrectore Dn. M. MOLLERO, Colle-  
ga Tertio HASSIO, Quarto & Chori Musici Directo-  
re BEYERO linguam latinam, Græcam, Hebraicam,  
Historiam, & aliquot Philosophiæ partes, nec non  
Theologiæ studium, per quinque fere annos tractavit,  
ita ut A. 1709. quoque publice & cum laude Gymna-  
sio Freibergensi valedixerit. Non diu posthac mora-  
tus Candidatus noster sed statim animum intendit, A-  
cademiam aliquam petere, quo studiis suis & altiora  
conjungeret. Placuit præ cæteris Lipsia, ubi quoque  
numero Studioforum d. 17. Maji A. 1709. (Rectore Ma-  
gnifico Dn. D. CYPRIANO) fuit adscriptus. Ut ve-  
ro non tantum nomine, verum etiam re ipsa esset Stu-  
diosus, collegia virorum celeberrimorum frequentare  
cœpit, & quidem, quoniam, quando quis studet ædi-  
fium aliquod superstruere, bonum habeat fundamen-  
tum necesse est, putavit quoque studia sua fundamen-  
tis firmare, & Philosophica præmisit. Manus ipsi hac  
in re porrexit auxiliatrices Dn. M. BOETTNERUS  
de cujus industria in prælegendo cursu Philosophico  
ad Buddei Philosophiam non parum profecit, postea  
Dn.



1327

Dn. D. RECHENBERGIUM Historiam, Jus Naturæ & publicum docentem sedulo audivit. Hisce conjunxit Collegium disputatorium sub Dn. M. RUMPFIO, quod postea quoque per mulros floruit annos. Quo autem animi non solum scientiis, & corpus moribus poliret, sed etiam animæ suæ consuleret, studium arripuit Theologicum, eique per aliquot annos operam dedit, & collegia Dn. D. OLEARII, Dn. PFEIFFERI, Dn. D. CYPRIANI, Dn. D. SCHMIDII, Dn. D. GUNTHERI, Dn. D. RECHENBERGII Theologorum Celeberrimorum frequentavit, & in Collegio disputatorio privato Dn. D. HOFFMANNI multoties disputando se exercuit. Finem autem propositum ut optate assequeretur studium Juridicum, cui & ante se mancipaverat, revocavit in mentem. & ejus dulcedine allectus non solum ea quæ antea hauserat, repetiit, sed etiam hic nova adjecit. Præiverunt ipsi feliciter hoc in studio privatim Dn. KLEPPERBEINIUS, *J. U. D. & Practicus Celeberrimus*, sub cujus per aliquot annos ductu & hospitio magnos cum in Theoria tum Praxi fecit progressus; Publicè verò, Dni DD. celeberr. SCHREITERUS, OLEARIUS, SCHACHERUS, TITIUS & MENCKENIUS. Putans autem scientiam omnem esse vanam ac stultam, nisi & aliis illam ostenderet, ac Reipublicæ Studia sua redderet utilia, A. 1715. Wittebergæ in Facultate Juridica Examen, quod pro praxi vocant, subiit, ibique d. 19. Nov. d. a. testimonium eruditionis suæ publicum reportavit. Eodem anno & mense d. 29. Notarii P. C. officium à Dn. D. JO. FRIDERICO HOECKNERO, *Com. Pal. Cas.* ipsi fuit collatum, præstito desuper juramen-

to

to A. 1716. d. 28. Mart. ad Praxin in terminis Saxonis exercendam prævio Advocati juramento fuit admiffus. Contulit fe paulo post ad Patronum fuum, cujus insignia in fe merita non potest fatis deprædicare, gratæ agnoscere mente, Virum Illustrem ac Generosissimum Dn. FRIDERICUM CHRISTIANUM ab HEYNITZ, *Dynastam in Dræschkau, Militæ & Oppitzsch,* ubi quoque per anni spatium est commoratus eumque multis à Serenissimo ac Potentissimo Rege Poloniarum & Electore Saxonie demandatis Commissionibus occupatum in itinere comitatus est. De hinc Lipsiam A. 1717. reversus, Praxin exercere Juraque docere inchoavit. Quibus laboribus quoque in hunc usque diem cum applausu supersedit. Nunc nostram adit Facultatem petiitque ab ea ut ad Consuetum Examen Candidatorum Juris, quod vocant rigorosum admitteretur. Nos honesto ejus desiderio nequaquam abnuentes, imprimis cum in dicto Examine & resolvendis Textibus ex utroque Jure transmisissis, se talem præstiterit, qui ad ejusmodi honores consequendos dudum dignus judicatus fuerit, ipsi januam ad ulteriora Juris specimina & consequendum gradum in utroque Jure lubentissime aperuimus. Quare proximo die 16. Jun. a. c. Lectionem cursoriam ad *L. Præses 27. ff. de Re jud.* hacque finita dissertationem Inauguralem B. c. D. habebit. Cui actui ut Magnif. Dn. Rector, Domini Proceres & Cives Academici frequenter interesse velint, humanissime invitantur. Publ. sub Sigillo Facultat. Jurid. Dom. 3. post Trinit. Anno 1723.

(L. S.)

Erfurt, Diss., 1723

X 2386946







1723, 20  
1324  
M 23

FACULTATIS JURIDICÆ DECANI  
**ERNESTI TENZELII,**  
JCTI,

EMINENTISSIMO PRINCIPI ELECTORI MOGVNTINO  
A CONSILIIS REGIMINIS, JVDICII PROVINCIALIS ERFOR-  
DIENSIS ASSESSORIS, AC DICTÆ CIVITATIS CONSVLIS  
PRIMARII, ET RELIQV.

PROGRAMMA INAUGVRALE

*270*  
*Omniū ordinum Auditores decenter invitāt*  
AD AVDIENDAM

LECTIONEM CVRSORIAM *Sup. L. Præses 27. ff. de Re Jud.*

HACQVE FINITA

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

DE

**CAVSA DEBENDI,**

A PRÆNOBILI ET CLARISSIMO JURIVM CANDIDATO

**DN. THOMA HAYME,**

ADVOCATO LIPSIENSI,

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

D. XVI. JUN. A. M DCC XXIII.

HABENDAS,

ET SIMIL

DE PRÆJVDICIIS

QVEDAM DISSERIT.

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS GROSCHIANIS, Acad. Typogr.